Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1343

Quelle:
Copyright:

oſtenditur &c. *Dicitur 2° Vaſchank quaſi Vas ſchank, quia ſicut vas liquore ſuperimpletum effluit, ita hoc tempus quaſi vas diſſolucione ſe diffundit* &c. *3° dicitur vaſchanckh vach ſcham. Vach enim qui deſtruit templum dei* &c. *4° dicitur Vaſchank a fraſs quod eſt vorare et comedere et ſchank quod eſt propinare* &c. His infra in notis additur: *Vaſsnacht ſicut dicitur Criſtnacht, i. der Vaſtennacht i. nox que eſt nuncium ieiunij. Vel dicitur nox i. profeſtum vel vigilia temporis quadrageſimalis* &c. *Item vaſnacht i. fraſsnacht et rationabiliter obmittitur* r *quia crapula et ebrietate ſaturati non poſſunt bene proferre* r. *Item vaſchank i. vaſten anfanckh* &c. De Autore *Franciſco de Retza* Auſtriae urbecula vide *Quetif. Scriptt. O. P.* T. I. p. 775. et *Scriptt. Univ. Vienn.* P. I. p. 73.

VIII. *fol.* 114. Adnotata varia Theologica praecipue ex *Rob. Holkot* Anglo O. P. Item fragmentum ex Commento *Balteri* (Gualteri Burleji) in *Ethica Ariſtotelis* &c.

CCCXLIV.

841 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XV. Folior. 180. 8. non una manu exaratus et quondam *Fratrum ſancte Crucis in Colonia* ſequentia complectitur: I. *Bullam domini Johannis. XXII. de viſione anime.* Id eſt revocatoriam opinionis ſuae, qua tenuerat, Animas Piorum ante corporum reſurrectionem non fruituras *beatifica*, quam ajunt, *Viſione.* Eam, quod *Johannes* morte praeventus non poterat, *Declarationi* ſuae inſertam publicavit Succeſſor *Benedictus* XII. Data vero eſt a *Johanne* pridie mortis, 3. *Dec.* 1334. *Avenione.* Pontificat. anno 19. hoc initio: *Ne ſuper hijs que de animabus purgatis ſeparatis a corporibus* &c. Vulgata eſt a *Baluzio* in *Vitis Papar. Avenionen.* T. I. in *Vita Johannis* ſcripta a *Petro de Herentalis* p. 183. ſed valde mendoſa; correctior apud *Raynaldum Annal. Eccl.* T. XV. edit. *Colon.* 1694. p. 476. ut tamen e *Codice* noſtro perfici poſſit, ſi annum Pontificatus demas, quem Librarius omiſſa unitate XVIII. fecit.

II. *fol.* 3. Εγχειριδιον aſceticum pia Monita e variis Autoribus lecta complexum, cujus initium: *Anima mea! ſit libellus hic in titulum inter Ihеſum et te. Primo ſemper ſit in ore tuo Benedictus deus* &c. Comparent *Hugo, Auguſtinus, Dionyſius* &c. et ad calcem: *Anno domini M°. CCCC°. LIII°. In profeſto. ſ. margarete v.*

III. *fol.* 11. *Incipit prophetia ſibille tyburtine grece albunee latie priamidis regis filie.* Initium: *Sibille grece femine prophetantes dicuntur. quod ob diuinam uoluntatem hominibus interpretari et ventura prenunciare ſolebant. Tradunt namque autores X. fuiſſe ſibillas* &c. Fabuloſa haec Narratio a quibusdam *Bedae* tributa praefixa eſt *Oraculis Sibyllinis Serv. Gallaei Amſtelod.* 1689. 4. eruta,

ut